

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De perfectorum corporum subtiliatione, & primo de Sole in speciali modo

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

De præparatione Martis.

Mars etiam per hunc modum inelius præparatur. Calcinetur, quemadmodum Venus cum sale communi mundato: Calcinatus cum aceto puro lavetur: Lotus ad solem desiccetur: & desiccatus iterum cum novo sale & aceto teratur & imbibatur, & ad eundem furnum reponatur per duos dies, ut de Venere factum est. Solutum honora, quia est aqua sulphuris fixi mirabiliter colorem elixir augmentando. Et hæc de imperfectorum corporum præparatione dicta sufficient.

De perfectorum corporum subtiliatione, & primo de Sole in speciali modo.

Perfecta vero corpora non indigent præparatione quantum ad perfectionem, cum perfecta sint: Sed ut magis subtilientur & attenuentur. Ideo talis eis præparatio est adhibenda. Accipiatur Sol in laminas tenues productus, & ponatur cum sale communi optime præparato ac mundato solenter in vase calcinationis, & collocetur in furno calcinando bene per tres dies, vel donec totum fuerit subtiliter calcinatum. Deinde extrahatur, & multum bene teratur, & cum aceto lavetur, & desiccetur ad solem. Postea teratur bene cum medietate sui salis armoniaci mundati, & ponatur ad solven.

solvendum ; donec totum fuerit per beneficium salis communis & armoniaci in aquam caram dissolutum. Hoc est fermentum elixirii preciosum rubei , & corpus spirituale.

De subtiliatione Luna in speciali modo.

Subtiliatur autem argentum & tenuatur & in corpus spirituale reducitur per modum jam dictum. Ergo per omnia & singula fac in ipsius subtiliatione, sicut de Sole fecisti. Et aqua Lunæ dissolutæ est fermentum ad elixir album spirituale factum.

Jam imperfectorum corporum præparationem & perfectorum sublimationem sufficienter determinavimus ; ut ex his quilibet discretus suum possit adimplere intentum. Attendat ergo unusquisque proprietates & modos actionis seu compositionis elixir majoris. Nos enim quærimus substantiam unam facere : tamen ex pluribus aggregatam , adunatam & fixam , quam super ignem positam ignis non exprimat : & liquatis permisceatur , & liquefiat cum ipsis , cum eo quod est in ea de substantia ingressibili : Et permisceatur cum eo quod est in ea de substantia permiscibili : Et consolidetur cum eo quod est in ea de substantia consolidativa. Et figatur cum eo quod est in ea de substantia fixativa : & non combura-